



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. D. Thomæ Delbene Marvbiensis, Clerici Regvlaris,
Sacrae Theologiae Professoris ... De Immvnitae, Et
Ivrisdictione Ecclesiastica**

Bene, Thomas del

Lugduni, 1674

Sectio j. Dubitationis Resolutio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98676](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98676)

DUBITATIO X.

An, & quis veniat nomine confugientis ad Ecclesiam, ita vt illius immunitate gaudeat?

SECTIO I.

Dubitationis Resolutio.

SUMMARIUM.

- 1 Confugientis nomine ad Ecclesiam venit quilibet homo, siue mas, siue femina, siue liber, siue seruus, siue nobilis, siue ignobilis.
- 2 Ecclesia ad exemplum Dei, non est acceptatrix Personarum.
- 3 Vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus.
- 4 Exceptio firmat regulam in contrarium.

- 1 Respondetur, venire quemcumque, siue sit mas, siue femina, siue liber, siue seruus, siue nobilis, siue ignobilis, &c. Atque ita constat ex capite inter alia, de immunit. Ecclesia, cap. frater, cap. minor, c. definitur, cap. id constitutus, & c. si quis contumax, 17. quest. 4. & nouissime ex Gregoriana, & ex communi docet Gutierrez pract. qq. ciuil. lib. 3. quest. 1. num. 7. Et probatur, quia Ecclesia ad exemplum Dei non est acceptatrix personarum, & qualitas maris, vel feminae, libertatis, vel seruitutis, &c. per accidens se habet, tum quia praedicta iura absolute, & sine distinctione loquuntur, vbi autem ius non distinguit, nec nos distinguere debemus, & propositio indistincte prolata aequiualeat vniuersali, l. i. ff. de legat. prest. & capite solita, de maiorit. & obed. tum quia in Gregoriana solum excipiuntur quidam casus, de quibus infra. Et exceptio firmat regulam in casibus non exceptis, cap. Dominus 32. quest. 7. l. nam quod liquida, §. fin. ff. de penult. leg. & l. Tribunus, §. vlt. ff. de militar. testam.

SECTIO II.

An Ecclesiae immunitate gaudeat suspensus, vel interdictus ab ingressu Ecclesiae.

SUMMARIUM.

- 1 Suspensus, vel interdictus ab ingressu Ecclesiae, si ad ipsam confugiat, gaudet Ecclesiastica immunitate, licet denunciatus.
- 2 Suspensus, vel interdictus ab ingressu Ecclesiae censetur esse priuatus ab ingressu formali, hoc est ad audienda diuina officia, non autem ab ingressu materiali, scilicet vt gaudeat illius immunitate.
- 3 Interdicti censura, vt odiosa, non habet alios effectus, praeter expressos in iure.
- 4 Suspensus, aut interdictus ab ingressu Ecclesiae, si ob vitandam grauem penam confugiat ad illam tempore diuinorum officiorum non censetur delinquere contra censuram.
- 5 Ecclesia interdicta non caret privilegio immunitatis.
- 6 Ecclesia defendendo indignum tanto maiorem pietatem ostendit; quia non tantum attendit ad consu-

ram incursum, quam ad delinquentis fragilitatem, & loci sanctitatem.

7 Auctoritas Felini non probatur.

8 Suspensus, vel interdictus ab ingressu Ecclesiae, licet priuetur sepultura Ecclesiastica, non tamen priuatur immunitate, quia in poenis non valet illatio de casu ad casum.

Respondetur, quod si ad Ecclesiam confugiat, immunitate Ecclesiae gaudeat suspensus, vel interdictus ab ingressu Ecclesiae, quamvis denunciatus; quia nullus textus eum excludit ab hoc communi privilegio fidelium.

Confirmatur, quia suspensus, vel interdictus ab ingressu Ecclesiae, quamvis denunciatus, licet priuetur ab ingressu Ecclesiae formali, scilicet ab ingressu Ecclesiae in ordine ad audienda diuina officia, non tamen priuatur ab ingressu Ecclesiae materiali, scilicet vt gaudeat illius immunitate, cum interdicti censura, vt pote odiosa, non habeat alios effectus, nisi qui iure expressi sunt, & hic expressus non reperitur, scilicet quod priuet personam suspensam, vel interdictam Ecclesiae immunitate.

Confirmatur secundò, quia qui ob vitandam grauem penam ad Ecclesiam, etiam tempore diuinorum officiorum, confugit, non delinquit contra censuram interdicti, cum necessitate compellus eo confugiat, & censura interdicti, vt pote de iure positio, non obliget cum tanto incommodo.

Confirmatur tertio, quia Ecclesia interdicta non caret privilegio immunitatis, ob interdictum locale, sicuti dicitur, 9. sect. 4. dicebam: ergo neque persona interdicto priuatur fauore immunitatis localis, ob interdictum personale.

Neque obstat, talem indignum esse, vt hoc Ecclesiae beneficio fruatur, quia tantò maiorem pietatem Ecclesia ostendit, si illum defendat, praesertim quia illum defendendo, non tam attendit ad delictum, & censuram, quam ad eius, qui deliquit, fragilitatem, & loci sanctitatem.

Atque ita ex communi docent Sylu. verb. Immunitas 3. quest. 3. Nauar. cap. 25. num. 19. Tuschus verb. Ecclesia, conclus. 10. num. 26. Couar. 2. var. cap. 20. numero 11. Clarus lib. 5. §. fin. quest. 30. num. 18. Azor 1. part. lib. 9. cap. 9. Decian. tractat. crimin. lib. 6. cap. 26. num. 3. Farinacius in append. de immunit. cap. 2. num. 44. & de carceribus quest. 28. num. 39. & 40. Suarez tom. 1. de relig. lib. 3. cap. 10. num. 4. Peregrinus de immunitate cap. 12. num. 2. Gambacurta lib. 4. cap. 10. num. 4. Filiucius tractat. 15. cap. 6. quest. 8. Mar. Italia lib. 1. cap. 2. §. vnic. Germonius lib. 3. cap. 16. num. 27. & sequentib. Ambrosin. de immunitat. Eccles. cap. 8. num. 12. Layman lib. 4. tract. 9. cap. 3. num. 10. Bonac. disp. 3. quest. 7. §. 3. num. 8. & alij passim, quidquid in contrarium senserint Felin. in capite à nobis, de exception. num. 5. Summa Confessorum, tit. de immunit. Eccles. quest. 5. & alij apud Farinacium cit. cap. 2. num. 45. & 78.

Obiicies, suspensus, & interdictus ab ingressu Ecclesiae, Ecclesiam ingreditur, delinquit aduersus prohibitionem eius, cuius aditus est ipsi interdictus: ergo frustra implorat auxilium Ecclesiae. Ita Felinus loco supra cit. & adducit textum in cap. quia frustra, de esur.

Respondetur, nego antecedens, quia (vt dicebatur) censura suspensionis, vel interdicti non priuat ab ingressu Ecclesiae materiali, sed formalis tantum, scilicet ab ingressu in ordine ad audienda diuina officia: & sic non facit pro Felino textus, quem adducit, cum suspensus, vel interdictus ab ingressu Ecclesiae, non delinquat contra Ecclesiam, ingrediendo Ecclesiam materiale, nempe ad saluandam solum personam, & non ad audienda diuina officia.

Instabis,